



## The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LEIRIENSIS - FATIMENSIS\*** PRIMA EVO TITULO  
DIOECESIS LEIRIENSIS

**ADDITUR TITULUS FATIMENSIS** Qua pietate ac religione in Virginem feramur, Christi Matrem castissimam caelorumque Reginam, cum verba Nostra produnt, tum maxime vita : non enim aut loquimur quidquam aut gerimus, quin inde, praeterquam quod Christi, adorandi Dei Filii, etiam Matris eius laus grata promanet. Erga vero Deiparam Virginem Fatimensem singularem inclinationem nostram et peregrini pluries ostendimus Fatimae, et supplices in foro S. Petri Romae ultro monstravimus, cum recens catholicum orbem incertasque eius fortunas in illius tutelam tradidimus. Qua re, cum Venerabilis Frater Albertus Cosme do Amaral, Episcopus Leiriensis, suo suorumque tum cleri tum etiam populi nomine, ab hac Apostolica Sede petierit ut sua dioecesis indici etiam titulus « Fatimensis » adderetur : summam enim et famam, et gloriam, et laudem quae ex eo pago in quo Virgo se ostenderit, tamquam e fonte clarissimo, in totam dioecesim redundasse ; ceterum esse beatissimam illam Matrem ab anno MDCCCCLXII Patronam dioecesis principem ; Nos, fore putantes ut concessum beneficium pietatem erga Deum eiusque Genetricem augeat, libenti sane animo admotae expostulationi concedimus. Quapropter, consilio ante petitio a Venerabili Fratre Sancte Portalupi b. m. olim Archiepiscopo titulo Christopolitano atque in Lusitania Apostolico Nuntio ; iis praeterea probatis, quae Sacra Congregatio pro Episcopis de re statuerit, factis olim a Nobis potestatibus, placet veteri titulo Leiriensis dioecesis etiam « Fatimensem » apponi, sane in perpetuum, ut posthac ea Sedes *Leiriensis-Fatimensis* cognominetur. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, die tertio decimo mensis Maii, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

BERNARDINUS Card. GANTIN  
*S. Congr. pro Episcopis Praefectus*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost. s. n.*

\*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 10, pp. 833-834

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana